



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Balthassaris Alvarez, Societatis Iesu Religiosi

Puente, Luis de la

Coloniae Agrippinae, 1616

Cap. XI. Matrem Theressam de Iesu idem Pater plurimum iuuit: & illa
habuit reuelationem de prædestinatione P. Balthass.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43347

CAPVT XI.

*MATREM THERESSAM DE
Iesu idem Pater plurimum iuuit: & illa
habuit reuelationem quandam de pra-
destinatione Patris, ut magis
ipse respiraret.*



LETERA insignis foemina, quae
tunc Abulae erat, ubi Deus
illam posuit; ut esset sanctita-
tis exemplar, non solum in illa
ciuitate; sed etiam in toto orbe
be Christiano, fuit beata illa
Mater Theressa de Iesu tunc
monialis in monasterio Incarnationis Carmeli-
tarum Calceatarum, quae postea fuit insignis fun-
datrix monialium Carmelitarum Discalceatarum
cuius sanctam vitam, utpote toti mundo notissi-
mam hic non referam, tum quod libri de ea sine
diti; tum quod heroica eius facinora abunde illi
manifestant: propter quae est verè nostrae Natio-
nis decus. nam quemadmodum Hispania ex pro-
uidencia diuina protuli Ecclesiae sanctae illustre
duos Patriarchas, Sanctum Dominicum, & San-
ctum Ignatium, adeo insignium duarum Reli-
gionum Fundatores, quales sunt Praedicatorum
& Societatis IESV: ita eadem prouidentia ded-
nuic, quod antea non dederat, sanctam scilicet
& strenuam foeminam Matrem & Fundatricem
mulierum Religiosarum adeo perfectarum

quæ eadem iuuit, vt resuscitaretur, ac renouaretur; aut certè noua quoque fieret similis Religio virorum. ad quod præstandum præuenit eam Deus extraordinarijs misericordijs, & Pater Balthassar plurimum eam iuuit, vt ipsamet fatebatur: nam interroganti cuidam ex suis monialibus, an sibi expediret cum sancto Patre isto agere; respondit magna Dei erga te esset misericordia. nam talis est, cui anima mea præ alijs omnibus plus debeat in hac vita, & qui præ alijs adiuuit me, ac direxit in via ad perfectionem. Et in eo libro, quem iussu Confessarij sui edidit, referens, quòd tota sua foelicitas fuisset, egisse cum Patribus Societatis I E S U, quantumque profecisset ex primo Confessario, quem ex ea habuit; addit de secundo: (qui fuit Pater h: C B A L T H A S S A R) hic cœpit me ad maiorem perfectionem promouere: dicebatque mihi: ad placendum omnino D E O, nihil me præterire debere: magnaque industria, & suauitate exiit me priuatis amicitijs.

§. I.

ET re ipsa ita fuit: nam primum, quod apud illam effecit, fuit, præscindere aliquem excessum, quem in suis initijs in hoc genere habebat. cum enim valde esset illustratus, & expertus; nouerat, ingens detrimentum ex priuatis amicitijs, & nimijs affectionibus ad creaturas prouenire: etiamsi aliàs bonæ esse videantur. nam per eas, aiebat, captiuari cor; & amittere libertatis & ingenuitatis priuilegium,

H 3

gium, quo DEVS illud donauit, cum hominem condidit; fierique inhabile & ineptum ad familiaritatem cum ipso DEO Domino nostro. Trahunt enim post se cogitationes ad personam amatam; furantur tempus, nec locum relinquunt, quo Deus in corde maneat; nec ut ipsum possit soli suo Creatori adherere, & vniri. Cum igitur ille aduerteret, seruam hanc DEI difficultatem magnam sentire in renunciandis aliis, bonis aliis amicitijs, eò quòd ingratitude reputaret; non bene velle, & id ipsum ostendere ei, à quo sciebat se amari: dedit operam, vt hoc impedimentum dexterè remoueret, suadés ei in primis, vt per dies aliquot rem seruam DEO commendaret, dicens in eum finem huiusmodi: Veni Creator Spiritus, vt lucem diuinam impetraret, qua posset, vtrum melius esset, discernere: quod cum illa fecisset, adeò illi foelicitate euenit: vt in quodam Raptu dixerit ei Dominus: nolo, te amplius conuersationes cum hominibus habere, sed cum Angelis. Ex quo tempore nec solatium nec amicitiam vllam habuit cum persona aliqua, quæ non esset fidelis DEI serua, abscissis omnibus imperfectionibus, & excessibus, quos in ea materia habere solebat. Ex his apparet periti huius Modigliani prudentia ac dexteritas, qui noluit vno tractu amicitias illas euellere, sed ipsam in bona via collocare, vt ipse DEVS nosset, cuius hoc est opus, eas euelleret. Eò enim industria nostra est dirigenda, dum cum illis personis agimus, quibus DEVS solet se communicare.

Cap 24. vi-
te ipsius.

EA NDEM etiam mortificabat reprimendo accelerationes præproperas in aliquibus rebus, quas cupiebat : vt sic fieret sui ipsius Domina, etiam in rebus bonis, de quibus agebat, iuxta illud Apostoli: *a omnia mihi licent, sed non omnia expediunt:* a 1. Cor 6. 12
neq; ego sub vllius redigar potestate. 1. Cor. 10. 22. Semel hæc sancta valde anxia scripsit ad illum absentem Epistolam, rogans vt statim illi responderet, eò quòd valde esset afflicta. Sed Pater Balthassar iudicans, expedire potiùs illam mortificare; & anxietatem illam & festinationem moderari, statim quidem ad literas respondit: sed in ipsa superscriptione adiecit, ne intra mensem integrum illas aperiret: quod illa fecit cum magna sui mortificatione.

SED multò ampliùs illam probauit tempore aduersitatis & tribulationis eius, circa modum & viam, qua Deus illam deducebat, quæ erat valde excelsa & extraordinaria: aliquando enim ex instituto cum ea agens, dicebat illi, omnes existimare, esse Dæmonis illusionem, quod illa habebat, ac sentiebat: & ipse insinuabat, se idem sentire. Prohibuit illi Communionem sacram per viginti Vide Riberã
dies, vt experiretur, quomodo id ferret: & tot lib. 1. c. 2. de
mortificationibus eam exercebat, vt sæpiùs sente- eius vita.
rit tentationem ab eo abstinendi, adeò se ab eo affligi ac premi sentiens: Sed quoties id facere staturabat, grauem in anima sentiebat reprehensionem, eam deterrentem, ne ab eo discederet: & ita mansit cù eo constans, & concepit magnam erga eum reuerentiam, & amorem. Et quidem meritò: cùm enim ipse certò cognouisset veritatem boni spiritus huius sanctæ tum ex luce sibi à Deo com-

municata; tum ex ea, quam ex libris spiritalibus in eum finem ab ipso lectis hausit; ac denique ex adhibitis probationibus: recepit in se valde ferè, vt illam tueretur & ab alijs defenderet; & ita fuit semper eius solatium, protectio, & refugium ad ferendas aliorum contradicciones, nec deficendum in tanta iudiciorum varietate, quæ circa ipsius Spiritum ferebantur. De qua re cum illa loquitur in capite 28. libri sui ait: se ijs, qui ipsi obijciebant, quòd esset à Dæmone illusa, & quòd eius reuelationes essent falsæ, respondisse, id esse non posse: nam se experiri in seipsa profectum in exuendis vitijs, & virtutù augmentum: & mox hæc verba subiicit, quibus ostendit, quanti faceret.

» Balthassarem Alvarez. Confessarius meus, Patet
 » scilicet quidam valde sanctus è Societate Iesu: hoc
 » ipsum respondisse cognoui. Ille erat valde pruden-
 » dens, & humilis: quæ tanta eius humilitas multas
 » mihi attulit molestias: nam, etsi vir esset magna
 » Orationis & Eruditionis, non tamen fidebat sibi
 » ipsi: quia necdum Deus illum eadem via deducebat
 » tulit & ipse multis modis graues mecum molestias
 » noui, ipsi dictum, vt sibi caueret à me, ne à Dæmone
 » deciperetur, si meis dictis fidem adhiberet. ad quod
 » persuadendum adducebant varia aliorum exempla
 » id quod valde me angebat, & verebar, ne forte
 » defuturus esset, qui meam Confessionem vellet exci-
 » pere: fuit verò Dei prouidentia, quòd ille con-
 » stans esse voluerit, measq; Confessiones excipere.
 » Sed tatus ipse erat Dei seruus, vt eius causa cuius
 » rei se exponeret: & ita mihi dicebat: caue, ne Deum
 » offendas; neq; ab ijs, quæ tibi prescribo, recedas: sed
 » sic ne timeas, me tibi defuturum. Sæper me animabat
 » & bo-

& bono animo esse iubebat, præcipiens, ne quid
 illi occultarem: nam si id facerem, etiam si Dæmō
 esset, qui mecum ita ageret, non posset mihi no-
 cere: & potius Deum ex malo, quod ille animæ
 meæ machinaretur, bonum deducturum. Ego au-
 tem cum tantopere timerem, in omnibus ei pare-
 bam, licet minus perfectè: nam satis multa à me
 perpessus est per triennium, cum meas Confessio-
 nes audiuit; in magnis enim persecutionibus, quas
 habui, & multis rebus, in quibus Deus permitte-
 bat, malè de me iudicari, cum sæpe innocēs essem:
 in omnibus, inquam, illis ad Patrem ipsum recur-
 rebatur, & reus mei causa agebatur, cum esset pla-
 nè innocens. Impossibile fuisset, nisi tantæ vir-
 Sanctitatis fuisset, eumque Dominus animasset,
 tantū ferre potuisse: oportebat enim illis respon-
 dere, qui iudicabant, me planè perire: nec tamen
 ipsi credebāt: sed & me quietam reddere, metum-
 que, quo ego afficiebar, curare oportebat. Ille ma-
 gna sua pietate me solabatur, quod si ipse sibi met
 credidisset, non ego tanta perpessa fuisset: Deus
 enim veritatem illi omnium aperiebat, nam & i-
 ipsum Sacramentum (quod ego quidem credo) lu-
 cem & notitiā illi dabat. Hęc sunt Sanctæ illius
 matris Theresæ verba, quæ apertè indicant Pa-
 tris Balthasaris humilitatem & prudentiam, qui
 in rebus adeo grauib; nolebat proprio suo sensu
 duci: qui tamen adeo erat rectus, ut inter tot ab-
 errantes; quod ipse sentiebat esset rectum; & quod
 ipse probabat, omnes iam probant. Quod autem
 vltimis verbis ait: quod Sacramentum lucē illi &
 notitiā daret, insinuat reuelationes, quas Pater,
 dum sacrum Missæ celebraret, habere solebat de

ijs, quorum gerebat curam, vt supra cap. 6. est dictum. Ex quo intelligimus, sanctum hunc virum magnam habuisse de sanctitate, & spiritu sancto huius Virginis opinionem; quam & ipsa satis ostendebat in aded exacta Obedientia, qua tanquam aliqua infans se illi subijciebat in omnibus, quae ille praescribebat. Quaedam insignis Domina valde pia, & in vtrumq; benè propensa retulit: Patrem Balthassarem sibi aliquoties valde exaggerasse huius Matris sanctitatem; & Maria Diaria multum eam praetulisse; & addidisse videtur, quantum Theresia de Iesu à Deo habeat, & qualis illa sit eadem tamen ad omnia, quae illi dico tanquam infantula aliqua se gerit.

§. II.

EANDEM etiam valde iuuit in constitutione Monasterij Recollectionis. nam licet ob importunam contradictionem, quae circa illud oriebatur, iussit illam ad tempus superfedere, & quia dubius erat, in id magis propendebat, ne ulterius progrediretur: Dominus tamē noster, qui in coeptis progredi iubebat, iussit, Cōfessario suo dici, vt matutinā orationem institueret supra illud versum Psalm. 95. *a Quam magnificata sunt opera tua Domine! nimis profunda factae sunt cogitationes tuae.* In qua oratione P. Balthassar manifestè vidit, illud esse, quod Deus volebat; & quod per vnā feminā mirabilia sua esset ostēsurus. quare dixit illi non esse ampliùs dubitandū, sed rediret ad agēdū de illius Monasterij fundatione, in qua ipsam direxit, & in cōdendis constitutionib. ac legibus iuuit, quibus nunc omnes gubernātur, qui in ea Religione viuunt. Et licet sancta haec Virgo, vt postea valde

a Psal. 91. 6. *a* Quam magnificata sunt opera tua Domine! nimis profunda factae sunt cogitationes tuae. In qua oratione P. Balthassar manifestè vidit, illud esse, quod Deus volebat; & quod per vnā feminā mirabilia sua esset ostēsurus. quare dixit illi non esse ampliùs dubitandū, sed rediret ad agēdū de illius Monasterij fundatione, in qua ipsam direxit, & in cōdendis constitutionib. ac legibus iuuit, quibus nunc omnes gubernātur, qui in ea Religione viuunt. Et licet sancta haec Virgo, vt postea valde

Ribera. lib. 1. cap. 14.

valde prudens, consilia sua cū alijs grauibus, eruditis, & spiritualib. viris sacrarū aliarū Religioniū, & nominatim gloriosi Patris S. Dominici cōtulerit: quādiu tamē P. Balthassarē apud se habuit, hic fuit ordinarius eius Magister & Consiliarius, qui etiā postea illā iuuit in fundatione Monasterij Metinēsis, & Salmātini, cū illorum Collegiorū esset Rector. Nā postquā discessit Abula, neq; ipsa neglexit ad eum recurrere in suis dubijs & negotijs, (quā ratione fieri poterat) nec ipse passus est occasionem occurrentem illam iuuandi, elabi, literis, consilijs & alijs diligentijs iuxta occurrentes necessitates.

IN cuius rei testimonium subiiciam hic partem cuiusdam Epistolę, quam Salmantica ad illam dedit, consolans illam in quibusdam angustijs constitutam. Iesus, inquit, tibi sit lux & solatium, has scribo potius propterea, quod id petieris, quàm quòd, indigeas aliquo meo solatio, quo animum tibi addam, siquidem etiam in leuioribus istibus soles prius à Deo moneri, præneneri, & roborari. *Abst. mibi.*, inquit S. Paulus, *gloriarī nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Et ego dico abst. à me etiam, vt cogitem, te posse in alio gloriari, siquidem tuus spiritus magnam reputat gratiam, tantum de eius dulcedine degustasse. Si Deo valde placet, vt moriatur Isaac propria scilicet nostra delectatio: verè est magnum beneficium reputandum, quod Abrahamo ignem & gladium offerat, quo statim sacrificiū peragatur. Nō premunt huiusmodi angustię, cū sciā in quanta laetitate & iucūditate viuāt in eis, qui diligunt Deū & expertus sum foeliciores rerū tuarum euentus

per

per huiusmodi media, quàm per alia magis grata,
 & fauorabilia sperabantur. Remedium itaque e-
 rit, benè sperare, tacere, ac Dominum continue
 orare, vt ipse det indicium, quòd hoc illi placeat
 ipse siquidem solus manifestare potest suorum o-
 perum virtutem, suorumque consiliorum magni-
 tudinem populo suo. Ego, Domina, faciam hic
 meum Officiu, & vbicunq; utilis esse po-
 tero.

Hæc Pater Balthassar scripsit, & re ipsa præsti-
 tit, attendens semper rebus huius sanctæ, & mo-
 nialium eius Metinæ, Salmanticæ, & Vallis-Ole-
 ti, & vbicunq; fuit: afficiebaturq; singulari con-
 solatione, agendo cum illis de rebus ad animam
 pertinentibus: reputans eas tanquam lampades
 accensas, diuino amore ardentes: sicut solèt lam-
 pades coram Sanctissimo Sacramento. Obserua-
 tum est autem, hanc eius operam fuisse Deo gra-
 tam, ex aliquibus rebus obseruatione dignis, quæ
 illi euenerunt, vt suis locis inferius referetur.
 Nunc finem imponam referendo insignem quan-
 dam gratiam & fauorem à Deo D. N. ipsi P. Bal-
 thassari per Sanctam hanc Virginem exhibitum,
 quo operam & laborem remunerauit, quem eius-
 dem Virginis causâ suscepit; eumq; multum; ad
 progrediendum iuuuit. Nam huiusmodi pœnitentes,
 vt supra est insinuatum, non minus iuuant
 suos Confessarios, quàm ab eis adiuuentur. Erat
 itaq; semel Pater Balthassar valde anxius ex qua-
 dam tentatione de prædestinatione sua, disputa-
 tans, & obijciens ac respondens sibi, an esset sal-
 uandus nec ne: & sancta hæc Virgo id aduertens,
 recurrit ad Dominum nostrum, vt dignaretur illi
 adesse

adefse: qui ei reuelauit, ipsum fore saluum; ostenditque illi præstantem quendam locum, quem in cælo esset habiturus, & adiecit, quod ille tunc in terra esset in ad eò excelso perfectionis gradu constitutus, vt eò tempore nullus esse in altiori: & iuxta talem gradum reddendos illi gloriæ gradus in cælo. Hac accepta reuelatione, dixit illa P. Balthassari: vt bono esset animo: nam Magistrum (ita ipsum Christum D. N. compellabat) sibi dixisse, esse certam ipsius saluationem. A quo momento ita fuit ipse consolatus, tantumque animum sumpsit: vt aduerterit verè fuisse cœlestem reuelationem: & ipsamet sancta idem multis alijs Societatis Patribus, & aliquibus suis monialibus, alijsq; personis religiosis retulit, quæ id tanquam certissimum referebant. Et ipsemet P. Balthassar habuit postea similem aliam reuelationem, vt suo loco dicetur. Non tamen prætermittam, quod in hac reuelatione refertur consideratione valde dignum: nam quo tempore illa fuit facta, & in ea dictum, quod ipse excederet in perfectione reliquos tunc in terra existentes, plurimi erant insignis sanctitatis in Ecclesia, & in ipsa Societate, & extra illam: quod si tunc ad eò ille excelebat in sanctitate: quanto amplius in ea profecerit postea, cum aliquot adhuc annos superuixerit: multisque heroicis diuini obsequij operibus studuerit? Deinde, non solet Deus huiusmodi arcana reuelare, nec velle manifestari personis non satis in virtute solidis, ob periculum alicuius arrogantix & superbix, aut ne de suo profectu aliquid ex negligentia relaxent. Cum igitur ipse voluerit eam manifestari eidem Patri; imò & ipsemet eandem mani-

mani-

manifestauerit; magnū signum est, fuisse illū valde in profunda humilitate, & feruenti Zelo quotidie in virtute proficiendi radicatum, & quod eadem reuelatio magis ipsum impulerit ad egregia facinora aggredienda: multosq; labores pro Deo suo & animarum salute subeundos. Dicere etiam licet: magnam eius hanc sanctitatem significatam fuisse per illam magni splendoris coronam, quae eadem S. Virgo coronatum eum vidit, dum sacra celebraret vt cap. 6. supra est dictum. Deprehensum est autem, quanti illa suum hunc Confessarium faceret: siquidem hanc visionem ad propriam suam consolationem scripsit & notauit in secretioribus suis chartis; quas diligentissimè custodiebat: quae postea peruenerunt ad manus Episcopi Taraconensis Dydaci Iepesij, qui sanctae huius vitam edidit: & in eis eam legit, alijs legendam proposuit. Idem confirmat, quod eadem Sancta dixit cuidam praecipuae Dominae, quae postea alijs reuoluit: quod de nullo Orationis puncto, aut modo loqueretur ipsa cum P. Balthassare, in quo ipse non praecederet: quod mirum fuit dictu, cum ipsa Sancta plurimum Deus in hoc genere communicauerit: huiusmodi autem donum ordinariè non datur nisi ei; qui aliàs multum profecerit. Sed breui videbimus, fuisse valde verisimile, quod haec sancta Mater de

eo dixit.

* *
*

CAP.

*D. Anna
Enriquez.*